Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

Terms and Conditions
The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

ut uni eidemque elementi mysterio. et finis esset uicius et origo uirtutibus.
Respice domine in faciem ecclesie tue. et multiplica in ea regenerationes tuas
qui gratie tue affluentis impetu letificas ciuitatem tuam. fontemque baptisma-
tis aperis toto orbe terrarum gentibus innouandis. ut tue maiestatis imperio
sumat unigeniti tui gratiam de spiritu sancto. *Hic aquam manu tangat in modum
crucis.* Qui hanc aquam regenerandis hominibus preparatam archana
sui luminis admixtione fecundet. ut sanctificatione concepta. ab inma-
culato diuini fontis utero. in nouam creaturam progenies celestis emergat.
Ut quos aut sexus in corpore aut etas discernit in tempore omnes in
unam pariat gratia mater infantiam. Procul ergo hinc iubente te domine omnis spiritus
inmundus abscedat. procul tota nequicia diabolice fraudis absistat.
Nihil hic loci habeat contrarie uirtutis admixtio. non insidiando
circumuolet. non latendo surrepat. non inficiendo corrumpat. *Hic faciat
crucem super fontem.* Sit hec sancta et innocens creatura libera ab omni impug-
natoris incursu. et totius nequicie purgata discessu. Sit fons uiuus.
aqua regenerans. unda purificans. ut omnes hoc lauacro salutifero
diluendi operante in eis spiritu sancto perfecte purgationis indulgentiam conse-
quantur. *Hic iterum faciat crucem.* Unde benedico te creatura aque per
deum uiuum. per deum uerum. per deum sanctum. per deum qui te in principio uerbo sepa-
rauit ab arida. cuius spiritus super te ferebatur. qui te de paradyso manare.
Hic aquam diuidet. Et in quatuor fluminibus totam terram rigare precepit.
Qui te in deserto amaram suauitate indita fecit esse potabilem. et sitienti
populo de petra produxit. Benedico te et per ihesum christum filium eius unicum
dominum nostrum. qui te in chana galylee signo admirabili sua potentia con-
uertit in uinum. qui pedibus super te ambulauit. et a iohanne in iordane in te
baptizatus est. qui te una cum sanguine de latere suo produxit. et discipulis suis
iussit ut credentes baptizarentur in te dicens. ite docete omnes gentes bap-
tizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti. *Hic mutat uocem quasi lectio-
nem legens.* Hec nobis precepta seruantibus tu deus omnipotens clemens adesto.
tu benignus aspira. tu has simplices aquas tuo ore benedicito. ut
preter naturalem emundationem quam lauandis possunt adhibere cor-
poribus. sint etiam purificandis mentibus efficaces. *Hic ponant cereum in
aquam.* Descendat in hanc plenitudinem fontis uirtus spiritus sancti. *Hic suf-*